



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

153 Eleemosynis peccata redimuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 151 Quia propter hanc maximam desideratur Ordinariorum vigilantia: huic rei potissimum est ab ipsis invigilandum, tum ne in publicatione indulgentiarum quarumcunque capsæ, pelvæ, & mensæ in ecclesiis apponantur, tum, si quid elemosynæ ex forma ab Ordinario præscripta pie recipiantur, id non in abulum, & quæstum, sed in vera probatæ pietatis officia convertatur juxta dispositionem, & mentem sacri concilii Tridentini *dist. cap. 9. de reform. sess. 21. cap. unic. de indulgent.* Pius V. in constituit, *de qua supra*, & Card. Bellarm. *cod. tit. cap. 9. §. primum miratur, & cap. 10. §. sextum caput, libro secundo, tom. 3.*
- 152 Sunt enim elemosynæ quæ ad aliquod piæ opus, ut ecclesiarum ædificationem, & restaurationem, valorum, & paramentorum ad earundem ecclesiarum, & in altaris ministerii usum, ac pauperum subventionem, captivorum redemptionem & similibus applicandæ, ut per eundem Card. Bellarm. *d. cap. 10. in fin.*
- 153 Elemosynis quæ etiam peccata redimuntur, Dan. *cap. 4.* miseris subvenitur: nam elemosyna est beneficentia miseris propter Deum exhibenda, D. Thom. 2. 2. q. 32. & in 4. *sent. dist. 15. q. 2.* Ideo Christus ad hanc præstandam nos hortatur: facite, inquit, elemosynam, & hæc omnia mundæ sunt vobis, *Luc. 11.* & vendite, quæ possidetis, & facite elemosynam, *Luc. 22.* Illa est hostia Deo accepta, placens, & suavis *ad Philipp. 4.* Divus Paul. Elemosynam appellat Dei gratiam 2. *Corinth. 8.* Per eam Dei misericordia querenda, *Tob. 12.* Unde qui facit misericordiam, Deo offert sacrificium, *Eccles. 35.* odor enim elemosynæ Raphaelem Archangelum me-

ruit habere internuntium, & per eum ad supremam Dei Majestatem ascendit elemosyna, à morte liberat, peccata purgat, Tobias via sua ducitur. Sara tot viris contristata, per Angelum matrimonio copulatur *arg. de temp. serm. 226.* elemosyna mortui adjuvantur, D. August. *in serm. 32. de verb. Apost. & idem Card. Bellarm. de purgat. lib. 2. cap. 16. §. quod hæc tom. 2.* Elemosyna Bonifacium, & Aglaem Ethnicos ad fidem convertit, à turpitudine peccati utrumque liberat, sanctos efficit, grataque Deo pignora cœlesti societati conjungit, duplicem triumphum Laurentio perperit, duplicique laurea coronavit, sed qui, quanta largiantur, aspiciunt, sed quanta rapiunt, minime perpendunt: mercedes suas in seculum periturum mittere dicuntur, Raban. *in 34. Eccles. ut etiam notatur, in cap. 1. Haggai Proph.* ubi etiam colligitur, quam gratæ Deo sint oblationes in templi ædificationem præstandæ, *Exod. 36.* habetur, populum tot ad opus tabernaculi Domini: dona obtulisse, ut coactus fuerit Moyses publico edicto jubere, ut ab illis ferendis cessaretur, cum plura, quam ad ædificium necesse essent, vota existerent. Quodque profuit defunctis preces, viventium elemosynæ juvent, ac præ cæteris Missarum celebratio, ut citius à Purgatorij penis liberentur, manifestum habemus exemplum in Iuda Machabæo, qui, magna argenti vi collecta, pro defunctis propitiationem fecit, ac iusta persolvit, *Machab. 9. 2.* & testatur August. *apud Bed. lib. 4. Histor. 6. 13.* quem refert, & sequitur Card. Ballarm. *cod. 6. 16. §. his adde.*

- 154 Viventium preces quæ profunt aliquando, etiam si orantes sint in peccato; peccator